


# ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

AN. ET VOL. LXXVI



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS  
M-DCCCC.LXXXIV

## EPISTULA \*

**De usu Missalis Romani iuxta editionem typicam anni MCMLXII.**

*E.me Domine,*

quattuor abhinc annos, iubente Summo Pontifice Ioanne Paulo II, universae Ecclesiae Episcopi invitati sunt ad relationem exhibendam :

— circa modum, quo sacerdotes et christifideles in suis dioecesibus Missale auctoritate Papae Pauli VI promulgatum recepissent, statutis Concilii Vaticani II rite obsequentes;

— circa difficultates in liturgica instauratione exsequenda evenientes ;

— circa renisus forte superandos.

Exitus consultationis notus factus est omnibus Episcopis (cf. *Notitiae*, n. 185, decembris 1981). Eorum responsionibus attentis, fere in totum solutum visum est problema illorum sacerdotum atque christifidelium, qui ritui (( Tridentino )) nuncupato inhaerentes manserant.

Cum autem problema idem perduret, ipse Summus Pontifex, coetibus istis obsecundare desiderans, Episcopis dioecesanis facultatem concedit utendi Indulto, quo sacerdotes et christifideles, qui in petitione proprio Episcopo exhibenda explicite indicabuntur, Missam celebrare valeant Missale Romanum adhibendo iuxta editionem typicam anni 1962, servatis autem normis, quae sequuntur:

a) Sine ambiguitate etiam publice constet talem sacerdotem et tales fideles nullam partem habere cum iis qui legitimam vim doctrinalemque rectitudinem Missalis Romani, anno 1970 a Paulo VI Romano Pontifice promulgati, in dubium vocant.

o) Haec celebratio fiat tantummodo ad utilitatem illorum coetuum qui eam petunt; item in ecclesiis et oratoriis quae Episcopus dioecesanus deputaverit (non autem in templis paroecialibus, nisi Episcopus in casibus extraordinariis id concesserit) ; iisque diebus atque condicionibus ab ipso Episcopo, sive per modum consuetudinis, sive per actus, adprobatis.

c) Huiusmodi celebratio secundum Missale anni 1962 fiat et quidem lingua latina.

\* *Praesidibus conferentiarum Episcoporum missa.*

d) Nulla habeatur commixtio inter ritus et textus alterutrius Missalis.

e) Unusquisque Episcopus hanc Congregationem certiore faciet de concessionibus ab ipso datis atque, expleto anno ab hoc Indulto tributo, de exitu quem eius applicatio obtinuerit.

Concessio huiusmodi, sollicitudinis signum qua Pater communis omnes suos prosequitur filios, adhibenda erit sine ullo praeiudicio liturgicae instaurationis observandae in vita uniuscuiusque Communitatis ecclesialis.

Iuvat me vero hac uti opportunitate me E.tiae Tuae Eev.mae ad dictissimum in Domino profitendi.

Ex aedibus Congregationis pro Cultu Divino, die 3 Octobris 1984.

© A. MAYER, O. S. B., Archiep. tit. Satrianensis, *Pro-Praefectus*

© Vergilius Noè, Archiep. tit. Voncariensis, *a Secretis*  
*In S. Congr. pro Cultu Divino tab., n. 686/84.*

## SACRA CONGREGATIO PRO CAUSIS SANCTORUM

### DECRETA

#### I

### ROMANAE ET ALIARUM

**Studium S. Congregationis pro Causis Sanctorum instituitur.**

1. Apud H. S. Congregationem instituitur Schola pro formatione Postulatorum aliorumve operam praestantium de qua in art. 15 vigentis Ordinationis ((Regolamento)), necnon eorum, qui assumendi sunt ad officium Iudicis delegati vel Promotoris Iustitiae apud Tribunalia pro tractatione causarum Sanctorum.